

בָּגָד
**DISSERTATIO POLITICA,
 De
 RADICE, CAUSIS, ET
 VINCULIS, SOCIETATIS
 HUMANAÆ:**

Quam

Consensu & approbatione Amplissimi Collegii Philo-
 phici, in inclyta Academia Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

Viri Adm. Rev. Excellentissimi & Clarissimi,

Dn. M. ANDRÆ WANOCCHII,

Philos. Pract. & Histor. Professoris Ord. celeberrimi,
 h. a. Regiæ Academiæ Rectoris Magnifici,

LIBERALIS EXERCITII GRATIA,

Adversus agnos oppugnatores defendere conabitur

S. R. M. Stipend.

JOHANNES L. JÖNG/
 UPLANDUS,

In Auditorio Maximo die 3. Maji,

Anno reparatæ per Christum salutis 1690.

A B O Æ,

Impr. apud JOHANNEM L. WALLIUM,
 Regiæ Univ. Typogr.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
SUMMÆ ET INTIMÆ FIDEI VIRO,
CONSILIARIO MAGNO,
DICASTERII HOLMENSIS
PRÆSIDI,
UT ET
REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS
CANCELLARIO
MAGNIFICENTISSIMO,
CELSISSIMO ET LONGE ILLUSTRISSIMO
DOMINO,
Dn. GUSTAVO ADOLPHO
DE - LA - GARDIE,
Comiti in Läddö & Arengsberg/
LIB. BARONI in Eekholm/
DOMINO in Hapsal/Magnus Berg/Höijensdorp
& Wennegarn/ &c. &c.
DOMINO ET MÆCENATI GRATIOSISSIMO
FELICITATEM INCONCUSSAM,
ET
GLORIAM PERENNEM!!!

CELSISSIME AC LONGE ILLUSTRISSIME
COMES.



Nter spem & metum diu animus bæsit, num Tanti nominis splendori ac judicio subjicerem primos bosce ingenii mei fætus, tam immaturos, tam impolitos ! Sane vero, qvotiens secreta estimatione ac veneratione, seria perpendo Celsissimæ Excelentiæ Vestræ excelsa animi dona, grandis muneric eminentiam, proficiam, tum merita in patriam maxima ; totiens video ista singula buccina fama dudum divulgata. Scilicet ut Sol, deus illud orbis & cœli, fulgorem suum gratiosum in totum mundum emitit, ac universam naturam beat, calefacit, refo-

refocillat; ita sapientia ac prudentia Celsissimæ Vestræ Excellentiæ, pietate, justitia, fide communite, omnibus gloriam, gratiam, temperiem adspirant. Inde non mirum, quod Sacra Regia Majestas de tam stabili Consiliario, Svecia de tanto columine, purpurato fido, in turbulento horum statu, sibi gratulatur. Tanta enim sunt Celsissimæ Excellentiæ Vestræ beneficiorum documenta, tam illustria dona, ut et ea laudibus celebrent Gentes aliae, Regna alia: hinc in omnibus terrarum plagiis nomen DELAGARDIANUM augustum, eternis annalium scriptis, immortali memoria, in perennia secula conservabitur, vigebit ac florescit. Magnos magna decere intendo: At ego, qui satis scio, humile meum ingenium non eo ascendere: proinde in inferioribus subsisto, et pedem figo. Enim vero, et cogito et scio, Celsissimam Vestram Excellentiam, immensa curarum mole die et nocte premi: tamen factum hunc exilium produco. Terret quidem me simplicitas; sed animum hesitantem honestoque flagrantem desiderio erigit pia recordatio optime mentis ac benignitatis Celsissimæ Vestræ Excellentiæ, in parentes meos affatim declaratæ; quorum et liberos tanto patrocinio complexus es ex mera clementia, et porro favore pollicitus sis. Accedit preterea singularis in Musarum cultores et propensissimus amor, qui et me jam audacem fecit: quippe cuius rivuli in me satis dimanarunt, tunc, quum ad hanc litera:

literarum nutricem ante aliquod tempus irem. Proinde Celsissime Comes, & Cancellarie hujus Academiæ Magnificentissime, Patrone Optime, suscipe fronte bilari primitias basce, et studiorum meorum initia, quæ in tessera ram bumilimi et gratissimi pectoris reverenter offero. Deus magnus, qui regit Cælum et terram, Te, O Celsissime Comes, spiritu cœlestis sapientiae semper dirigat, consiliis muniat, incolumem diu conservet! quo tuo sub auspicio subsidium, incrementum, ac splendorem capiat regnum Svecia! Sub tui clementissimi favoris umbra, in posterum ut hactenus refrigerium sentiant parentes mei, jam senio confecti. Vale Regis Magni Consiliarie Magne, decus imperii, gloria gentis Svedicæ! Vale et fave!

Celsissimi ac Illustrissimi Nominis

Humilimo cultorit clientulo
JOHAN. JUNG.

JUVENI
Literarum & modestiae laudibus apprime com-
mendabili,

DN. JOHANNI JUNG,
UPLANDO,
Dum de SOCIETATIBUS, earumque RADICE, inge-
niore differeret:

Primus in orbe parens hominum, cum
conjuge casta,
(Quae cum fortuna par quoque for-
ma fuit,) Ad socios, *Animal*, pendet, *Sociabile*,* nexus;
Quippe DEUM debent cuncta creata sequi
Auctorem. Ast fallit multum *Salmonis* alumnus,
Vitruvius, *Lyrici* Theja musa senis,
Dum Sociata ferunt hominum agmina prodi-
giose.
JUNCIUS hic limam præparat hisce suam.

*Arif. I. I. Pol. c. 1.

dia σπεδης

ANDREAS WANOCHIUS,
Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord.
Reg. Acad. h. a. Rector.

Præstantissime atque Politissime
DN. STUDIOSE,

Societatem mortalium, esse viridarium tot
gentium non aliis quam infans planè, aut
rerum Humanarum omnimode incuriosus
ignorat. Hinc Regum & Principum surgunt
dominia, hinc Populorum enascitur copia, gaudia, comer-
cia: qvarū vicisitudinis in Philosophorum, in Historico-
rum monumentis legimus: Nec id saniores Ethnicos, naturæ
lumine illuminatos, latuit. Licet male Philosophantes,
nescio qyibus fabulis obscurent. Politissime Jung imprudentium
os obturasti, potestatem & lacertos labefactasti, infirmasti, debilitasti; atque acumine magno &
sagaci indagine, veritatem SOCIETATIS rimatus es. Eamque
ob causam, ut par est, industriam & acumen tuum lau-
do, qvod intricata & gravi simulque utili velitatione in-
genii robur experiri & industriam & diligentiam de-
monstrare haud deditus sis. Supremum Numen cona-
tibus tuis honestissimis benedicat ex alto voveo; perductisque
ad justam metam studiis, etiam virtutis & eruditionis co-
ronam cum gloria addere. Vale

adposuit
CONRADUS FUGGERENBERG/
L. B.

Pereximie DN. Respondens.

Quod Votiens mens mea, libera ab aliis curis, orbem lustrat; totiens latabunda intuetur Dei Max: admirandum Emporium; in quo vivimus, & in cuius gremium sensim corporis exuvias deponimus. Tum vero licebit expatriari per caelestes domos, & illa aria, tot stellū fulgida, ignea, nebulosa, opaca: suisque speciebus qualitatibus turgentia; ex quarum atmo- & pyroospheris nova sidera & Cometa in atbere ad Mandatum Numinis densantur. Non euro quid finxit Aristoteles, quid somniant alii, dum modo, hoc scio, placuisse Præsidi Mundi, causarum secundarū ministerio semper uti, quoties manifestaret Terrarum Orbi suam gloriam. Sic quando ad consolandum genus mortalium, plane deperditum, se acinxit, ex semine misericordiæ per Spiritum S: hominem super homines formavit, in quo habitaet tota divinitatis plenitudo: miraculum miraculorum, negotium arduum, sola fide attingibile. Sic, quando monet superba pectora desistere à vitiis, paria per causas secundas facit in Cœlo, quoniam de novo nihil creat amplius. Unum enim sicut natura Seminariam, mixtura scilicet quatuor Elementorum, cum formarum Cbso involutarum diversa sane stricture, ne cum Paganis eremus, intra aquas supercalestes revera Elementares & inferiores hasce, singendo quintam quandam essentiam intra natura claustra nunquam cretam a Dœo, pro somnio habitam a Patribus, a Theologis accuratis, a Philosophis eruditis & recta ratione. Mox Speculatione ista Dives, Aeris regiam contemplor, in qua elevati ex humidis vapores, ex siccis effluvia satis densa, satis colorata conglomerantur, immo ambulant in sua sphera, adeoque pugnant quoque, si modo, radius solis refractus, sulphur accedit; quod, bostem suum Nitrum per vasta inania insequitur, fulmine, fulgere, boatu; vel leni bracchio, in matraria liquida, figuræ variæ pingit, interdum spæctacula, & Divinitatis admontiones, valantes exercitus & Chasmata format; Quæ postquam vidi, verso oculos in inferiorem telluris habitudinem: ibi Ahe faciem; heic Europe schema; alibi Africæ ideam; tum Americæ scum, deniq; Oceani ac marium ac sinuum ac fluminū sub polis, in torrida, in temperatis Zonis, que continentes dividunt, ac insulas circum-

sumundulant, intueror lusus: Ista singula quo sapore, quo balitu, quo re frigerio, quo nectare Magneticō, beant aridam, considero. Quid nunc commemorem Ignivomorum, aëriovorū, aquivomorum, metalliferorū, Montium ordines, caradupas, spiracula, cotes: quid Gemmarum semi na, colores, indolem? Quid intrachoncarum claustra latentes Margaritarum Geneses? Quid sylvarum dulcia? Quid camporum suavia? Quid Quadrupedum classes? Quid volatilium differentias? Quid insectorum myriades? deniq; tot piscium in aquis ludentium ordines referam? cum nihil aliud, post verbi Dei notitiam commendet Philosophum, quam barum rerum exalta & experimentalis notitiae: nosce Deum, nosce Mundum, nosce seipsum, est suprema sapientia. Ista divitiis satur; licebit introire in recessus Historiarum, Bibliothecam magnarum mentium & ibi conferre inter se ortum Regnum, consilia Regum, molimina gentium, bellorum causas, barmeciam vel confusionem actionum mortalium, & que heic occurrunt fatorum casus, rationum ardua vel dubia; tum intentionem pi am aut impiam perpendere. Nonne delectat contemplationem, dum accurata in dagine rimatur, quo paulo ab exiguo semine surgunt tam ample arborum moles, radices per gremium pulveria se diffundunt, trunci surgunt in altum ad captandum insensibilem cibum ex balsamo aëreo: hos rami & propagines vestiunt: jam foliorum figuræ; jam florum suavia; jam fructuum dulcia; jam umbrarum elegantiam. Quis non letabundus estimat, tangit, gustat, honorat. Äquale est miraculum ex homine uno & altero, Tot Principes, tot populos enatos, qui totam terra faciem implent & obumbrant; vel ut ait ille! Igni & ferro dividunt. Profecto illud est Sapere: contemplatione sincera ea cognoscere; que Deus Opt: Max: in suo hoc visibili Palladio patet fecit ingenii illastribus; illud est prudenter vitam instituere, indagare, & vivere juxta honesti & in honesti regulas, tum utilis publici modulos, quorum directrix & corona est Justitia. Hoc demum est esse Mundi Civem, causas & vincula societatum recte intelligere. Id a Te, Optime Juvenum! factum esse intelligo; dum de materia florentissima Academice seripseris, quam eriam, ut cum iudicio defendas, vovet & Optat ex animo:

DANIEL ACHRELIUS.

LECTOR BENEVOLE

Goto tempore quo in sacro hoc Musarum palladio Abensis, mihi peregrino, telam studiorum texere pia fata voluerunt; nihil magis in votis babui, quam in cultum ingenii agrum sapientiae seminiis ditare: sed ut natura ipsa non omnes equali indole ornavit; Idcirco adhuc circa corticem buerens, putamen frangere, ac dulcedinem nuclei delibare non valui. Animo tamen propterea in dubio fluctuanti; stimulos in studio incepto perseverandi indidit literarum gloria. Quare & argumentum quoddam levi brachio tangere, rudi Minerva explicare, ac sub incudem disputationis revocare, in animum induxi. Placuit inter alia Societatis Humanæ genium describere; quo mortales, in peregrinatione tam brevi, omnes paginas implent, Scio equidem basce meos conatus requirere & vires judicii, & consummate eruditionis copiam, & alia quoque subsidia. Quoniam tam delicato seculo, nihil in publicum ac cognitioni orbis literati subjici debet, nisi quod industria recondita perpolitum, elaboratum, ingenio, & ad lanceam veritatis adpensem, favor bonorum estimat. Ast dicto Ciceronis erectus. Ad summa semper contendamus, si autem nos forte, aut nostra, præstantis ingenii vis defecerit: eum, quem possumus, cursum, teneamus, primæq; sequendo, etiam in secundis aut tertiis confitere honestum ac laudabile ducamus. Itaque Lectore Honorande Te officiose rogo, breves basce lineas sincere explicare, nec labores juveniles, ut quidam faciunt, NIGRO signare CALCULO. Vale.

CAPUT

DANIEL ACHERINUS



CAPUT PRIMUM.



Ociates inter mortales dari, luce meridianâ clariss est, & qui illarum necessitatem in dubium vocaret, non immerito pleno gutture ab omnibus illumineretur; sc. quamdiu in amplissimo hoc mundi amphitheatro habitamus, & spiritus hos regit artus, manet tritum illud verum: similius simili gaudet. Quovis enim sub polo, in omnibus mundi angulis, vix unum non alii consociatum offendere licet. Quin homo à primo sui ortu, & aspectu hujus lucis, illustre præ se fert indicium societatis, dum accrescente ætate, Iuavis simo societatis vinculo cupit conjungi; imo per totum vitæ cursum desiderio cohabitandi flagrat. Ad societatem ergo natum latebras querere non decet. Ad hæc, nos dura semper vexat conditio, ut vix unus altero carere possit. Quid mirum, talem homini naturam esse implantatam? quem summus rerum arbiter, Deus, intellectu & voluntate ornavit; mediantibus quibus facultatibus præstantissimis, discrepantiam veri ac falsi, accurate (quantum rationi datum) investigare, appetitum boni ac honesti cum voluptate eligere, mali ac dishonesti aversari, capax est. Cum oculis nostris spectamus, animalibus irrationalibus magneticum quasi coniociationis consensum inesse;

A

que

quæ dum vitam degunt, mutuum auxilium dulci harmonia sibi invicem subministrant: quod longum seculorum experimentum nobis demonstrat. Hominem ergo esse animal sociabile, ac ad cultiores societates colendas quovis modo invitari, si quis nesciret, vel negaret, illi, acclamante ipsa ratione, crassa inesset inscitia. Causas hujus rei, aliorum sententiis explanatis, in medium proferemus.

§. II.

Combinationem societatum non pauci *per accidens* à fortuna peractam sibi persvadent; homines nempe non aliter, ac minima atomorum, levi aura conflari; nullam vel Dei, qui omnium rerum principium, dispensationem, vel inclinationem ipsius naturæ, nec fructus ac commoda societatum præsupponentes, solummodo inconditos ac palantes, vi ac legibus fatorum coaluisse.

§. III.

Alii, quomodo hominum genus primum in societas redactum sit, aliter lepidè fabulantur; statuentes, homines *flammis igneis lucidis*, nunquam antea visis, adeo fuisse turbatos ac perterritos, ut sese aliquid portenti ac prodigii vidisse falso imaginarentur: re autem secreta æstimatione altius pensitata, calore ac ejus efficacia singulari percepta, illi, ut continuo & gravi frigoris immunitate pressi, iam vero calefacti, illuc festinabant, ibique unanimi consensu habitare cœperunt.

§. IV.

Nec ab hisce figmentis dissentientes, & parum meliora de Societatum ortu judicantes defunt, qui (nescio qua falsa persvassione rapti) *musicam sonoram, ac harmonicum concentum, & eloquentiae facundiam*, cultum religionis utilissi-

tilissimum, in unum cœtum homines allexisse, non secus ac clangore instrumenti consoni apes congregantur, tradunt.

§. V.

Societates *summo necessitatibus* telo conglutinatas esse, Plato nonnunquam aperte demonstrat, dum mortales circa primordia rerum variis in locis dissipatos, ferarum immanitate oppressos, tandem congregatos esse, ut tantam vim illatam, summamq; ferocitatem, ac ingentem cladem, facilis propulsarent, repellerentq; etiam contra quasvis injurias ac calamitates ingruentes fortiter se defendenter. Sed gentiles fuligine tenebrarum obscuratos, errorum suorum vestigia literis descripsisse, imprudenter maledico dente arguere non decet; quin potius horum ignorantiam, in omnibus non inevitabilem, deplorare. Talis videtur sententia Diodori Sicul. L. I. c. 8. qua homines primitus natos, vitam inconditam & belluinam egisse memorat: *Illi qui sparsim ad pascua exierint, & rapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comedent.* Cumq; à feris infestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem adacti, paulatim cognatas inter se formas agnoverunt. Opinionibus ejusmodi minus congruis & erroneis auxiliatrices manus fert Hugo Grotius de J. B. & P. lib. I. c. 4. expressis verbis hominem, non præcepto Dei, sed sponte adductum, experimento infirmitatis familiarum segregum, aduersus violentiam, in societatem civilem coisse.

§. VI.

Easdem inflat tibias Hobbes. de Civ. l. I. c. 1. ubi etiam ex metu & indigentia, exclusa causa naturali, societas in statu naturali ortum habuisse, splendide nugatur, atque haec omnia vera esse, tanquam pro aris & focis numero argumentorum ac rationum pugnat. Siquidem

tunc nemo hominum habebat superiorem, cuius arbitrio suam voluntatem subjiceret, sed natura unicuique jus in omnia dedit. h. e. antequam homines se invicem ullis partis obstrinxissent, unicuique facere, quæcunque & in quoscunque libuit, & possidere, uti, frui omnibus, quibus volebat & poterat. Ex quo intelligi ac concludi potest, in statu naturæ, mensuram juris esse utilitatem, etiam hunc statum talem conditionem hominis esse, prout abstrahit ab illis, quæ instituto humano ipsi supervenerunt; præterea quia in hoc statu naturalis hominum æqualitas vigebat, facultas & voluntas ad mutua incommoda, & destructiones aliorum necessario, cœterorum ex libidine, tendebant. Hunc statum hasce ob causas esse statum belli infiniti ac miserrimum, liquido constat: homines quoqu summopere in id incumbunt, ut pericula damnaque quævis removeant ac depellant. Unde primum juris naturalis fundamentum esse, inquit Hobbes. de C. c. i. *Ille quisque vitam & membra sua, quantum potest, tueatur, omnemqu operam det, ut à metu & doloribus proprium corpus defendat, conservet.* Per consequens, qyoniam frustra jus habet ad finem, cui jus ad media denegatur, unusquisque ergo jus habet utendi omnibus mediis indifferenter, & agendi omnem actionem, sine qua se conservare non potest. Nec minima status hujus bellicosissimi caula videtur esse, hominum multorum idem appetentium desiderium. Seneca de Ira l. III. c. 34. *Quod vinculum amoris esse debebat, seditionis ac odii causa est, idem velle, istis appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erupta transferri, eadem affectan- zibus pugnam & jurgia excitant.* Homines in hoc statu, ubi bellum omnium contra omnes sine intermissione, ratione juris in omnia flagrabat, metu mutuo ac suspicione diu agita-

agitati, rapidissimis cladibus læpissime infestati non persevere posse satis existimabant; idcirco hinc emergere ac in societas confluere cœperunt. Quomodo hæc partim componuntur, partim relegantur ac rejiciuntur, in posterum sumus audituri. Jam ad ea quæ veritati contentanea, albo quoque magni nominis virorum calculo approbata, pedem promovemus, trito Philosophorum investigati: *Felix qui poterit rerum cognoscere causas.*

§. VII.

Originem Societatum ipsi *DEO, omnis boni auctori ac fonti*, primario tribuendam, quisque sanæ mentis ambabus manibus largiri debet: hic universi hujus conditor, ipsius naturæ rector ac formator, hominis naturam ita formavit, ut citra societatem vitam servare nequeat; *eaque de cava- fa eidem indidit animum notionum huic inservientium capacem.* Elegenter dicit Ampliss. Puffendorff. de J. N & G. *DEUS hominem solum esse, non bonum videbat, Adamo in fragrantissimo Paradisi horto delicatissima omnium rerum copia abundant, statim delicium insigne, adjutorium svavissimum, nempe Evam associavit, dicens: Crescite & multiplica- mini.* Quorum verborum, ore *Sanctissimi Numinis prolato- rum, operationem ac vim, ingens ac innumerabilis mul- titudo hominum, societas amantium, sufficienter ostendit ac probat, quæ ex tam tenui initio in cœtus ac indivi- duia, arenam maris, & stellas cœli numero longe supe- rantia, excrevit.*

§. IX.

Magnam ipsius naturæ efficaciam esse in conjungendis iis rebus, quæ vel cognitionem quandam, vel convenientiam, vel similitudinem, inter se habent, experientia lucu- lenter & exempla quotidiana ostendunt: in coarctandis autem homini-

hominibus haud minorem ejus valorem omnes naturæ partes evidenter testantur. Inclinationem societatis demonstrat hominum proprietas, sermo videlicet, ineffabilis præ irrationalibus prærogativa; cuius utilitas ac præstantia non nisi in societate elucet, uti utilia ac inutilia, justa ac injusta, honesta ac turpia beneficio naturalis hujus articulatæ ac distinctæ orationis judicantur, propalantur, ventilantur. Ipsum etiam jus naturæ & obligatio principiorum practicorum societates naturaliter concatenatas, sat evincere valent. Lex ab altissimo Deo implantata jubet proximum diligere, suum cuiq; tribuere. Unde colligimus, aliquid objectum prius intelligi, cui officia naturalia offerre tenemur. Princeps Philosopherum Aristoteles diversis in locis, præcipue I. I. Pol. I. nostris partibus favet, qvi hominem vocat *ζων πολιτεὺς, animal sociale*. Inustum E. & horribile videretur, si natura ab ipso appetitus actu frustraretur, ac in cassum laboraret, secundum Canonem: Vana est obligatio, quæ caret effectu. Huic rei lucem clarissimam fœnerat S. pagina. Act: XVII. v. 26. ubi indicatur, *omnes homines ex uno sanguine factos, habitare super universam terræ faciem.* Quare progenies unius principii, conjunctio sanguinis, in unum nos movere decet & debet. Naturæ sociabilitas ex ipsa σογῇ patescit: propterea, naturam licet furca expellas, tamen usq; recurrit. Sicuti apes congregantur, non ut favos faciant, sed cum natura coeunt, tum favos faciunt; ita postquam coiverunt homines duce natura, tum demum verterint studia ad vitæ necessaria comparanda. Hinc instinctum quendam, & revera generalem aliquam amicitiam homines pungere non dubitandum. Haud incommodè ergo quidam hominem ab *eu-*
us, originem ducere existimant, cum nulla alia causa,
quam

quam impetu naturali, ad desiderium conversandi & cohabitandi nos trahi quilibet, nolens volens, affirmet. Hanc ergo proximam, primariam & internam Societatum causam, qui fungum pro cerebro non habet, libenter concedet.

§. IX.

Ab hoc jucundissimo utilissimoque consortio nec ipsa abhorret voluntas & ratio; *quoniam illa tubens naturali ad societatem inclinationi obsecundans, arbitrio suo uti potest in eligenda persona una pluribusve, quibus se socium addicat, ut venustus loquitur D. Jacob. Thomasius in Tabulis practicis.* Voluntas ens liberrimum est, nec à natura cogitur, ullius libidini ut consentiat, sed istam inclinationem non illicitam, verum mortalibus convenientem, aque ratione sibi perswasam, sponte approbat, eamq; ob causam longe familiariori, & arctiori communionis nexu homines constringuntur, ut non immerito voluntas causa societatum immedata, interne impellens, salutetur.

§. X.

Ipsam itaq; naturam inclinantem, & voluntatem consentientem, non exclusivas sed inclusivas causas, sine contradictione, accurata rei consideratio dicere jubet: nemo enim erit, cui mens sana in corpore sano est, qui operam ac curam propriæ salutis & conservationis non adhibeat, & diligenter promoveat. Sine similiū autem aliorumq; auxilio, ob hominum malitiosam pertinaciam, vix vita tuta erit & fraudum immunitis: nudus quippe homo nascitur, & inops mundum ingreditur, alienæ opis, plurimum necessitudinis, plane indigus. Proin indigentia etiam sibi locum vendicat: nec miserius fore animal homine, si singuli solis sibi relinquantur, citra ullam ab aliis hominibus

bus accedentem opem. Concludimus cum Bœclero Inst. Pol. in ipsos hinc redundaturum, trahi, ut etiam dictum Cicero. i. **Conjugamus naturam appetentem, indigentiam inventantem, rationem ordinantem, & evadet civitas instruta copiis, formata jure, non ad vivendum modo, sed bene vivendum.**

CAPUT SECUNDUM.

Jam tenore legum in Scholis Logicorum inveteratarum, **Jad definitionem gradum promoveo, salvaq; aliorum definiendi ratione, eam quam tradit Christ. Pretorius me am facio: Societas est duarum vel plurium honesta coniunctio, ad vitam communem commode & feliciter transigendam, contracta.**

Vocem Societatis quidam a secundo com mode originem habere existimant: vulgo, quod in uno socco manent cum altero: alii a sequendo. Priores fundamento hocce innixi, quod socio cuique sua portio debetur: posteriores, quod, qui secundum me, non est idem mecum. Neutrum a horum rem satis accuratio res recte notant, Societatem a voce Socius dum deducunt.

Homymiam quod attinet, societatem (α) aliquoties proquavis omnium animantiū congregatione, promiscue sumi, neminem fugere potest. (β) Hac voce quoque inter dum vitam latronum, prædonum, hominum scelestissimo rum, exprimere, usus vulgaris sèpissime solet. (γ) O-

ronis habet: *Omnia utilia debent esse honesta, atq; sic in vita id expetere, quod pertinet ad usum, iniquum non est, alteri autem, surripere, jus non est.*

§. IV.

Definitionem *nominalem* excipit *realis declaratio*, in qua statim attendimus *genus*; quod est *coniunctio*: non quæcunque, etiam *accidentalis conspiratio*, sed talis, quam mutuus consensus, rectum rationis dictamen, justa de causa componit. Quod & Prætorius intendit, dicens: *Si enim animi non consentiunt in vita bene & feliciter transigenda, nulla societas datur.*

§. V.

Materiam societatum esse utrumque sexum, cuivis in propatulo est. Non quidem fugit nos, quosdam, fœminas, nescio qua dementia, captos, excludere velle, il lasque societatem non juvare, sed turbare; communionem quidem corporum, sed non operarum falso ac turpiter deblaterare. Siquidem testes rerum ac temporum, hīstoriæ, multarum fœminarum admirabilem fidem, insigne gesta, variis seculis, diversis terrarum plagiis, peracta, & æterna memoria digna, satis superque probant,

& commendant encomiis. Äqualitatem etiam inter socios naturam potissimum desiderare putamus, non tam *absolutam*, sed in quantum fieri potest, ac conditio temporis ac status permittit. Non singuli societati coniunctæ apti sunt, unde non raro societatis arctissime tempore hic loci societatem significat illorum, qui non cæco conjunctæ multos pœnitent: nunquam enim onus instinctu, nec intentione illicita ac vituperanda coeunt: num ac justum finem intendunt, nec capaces societatis sed judicant ac æstimant suam conjunctionem honestam determinari, nec tam peculiari aliquo lucro, quod

In vocabulo, *honesto*, *differentia formalis* optime comprehenditur: confusiones namque tumultuariæ, congressus fortuiti, conversationes scurries, societas honestas disturbant, evertunt. Dicit Salomon: *Noli esse amicus homini iracundo, ne ambula cum homine furioso.* Ergo quamdiu societas honestas ac modestia ornat, firmæ, u-tiles, inconcussæ manent.

Finis vitæ socialis *primarius* ipsi vitæ autori, qui *fit, qui est, qui erit*, optimo jure competit; *secundarium* autem duplēm facimus finem: quorum prior est *pravitas*: unde sectatores vitæ solitariæ nec sibi, nec aliis, in honestis officiis præstandis prodesse possunt. *Qui liberalis* vult salutari, necesse erit, ut aliquem habeat, cui liberalitate sua succurrat: qui characterem *cupiditatem*, debet cum alio fortiter congregari: qui *justitia* vult inclare, scere, aliis salutaria consilia commūnicate, recta judicia ferre, suum esse esse credat: *amicitia* ad minimum duos cultotes requirit. Nemo ergo socius merito dicendus, qui non svavitatem intendit, & solamen contra solitudinem sperat. Ad secundarium finem pertinet quoqu adjumentum in quotidianis actionibus, conservatio ac defensio adversus improbitatem malorum hominum, rabiem bestiarum, injuriam cœli & aëris. Nisi enim mutuis auxiliis sublevaremur, vitæ securitas ac perfectio semper incerta dubiaque effet, imo in momento, ictus fortunæ immittioris ruinam minaretur. Figmentum quoddam de cœco & clando finem hunc dilucidare potest. *Hi ambo ad unum locum summa celeritate qua poterant, festinabant, imbecillitate pedum laborans, cœco viam rectam & obstaculis tutam monstravit, visu autem or-*

batus,

batus, robore tamen corporis pollens, claudum humeris impostum portavit, sic adminiculo mutuo illesi metam optatam attin-gebant.

Politici solent dividere Societas, in *simplices* & *com-positas*, seu *mixtas*. Vel, ut alii in duas classes: scil. *Natura-lem* & *Civilem*. Societas *naturalis* est, quæ à natura & in na-
tura fundamentum obtinet; estque *primaria* vel *secundaria*. Societas *prima simplex*, vel, *primaria naturalis*, est ipsa con-jugalis, omnium maxime æstimanda, quam DEUS jam tempore innocentiae in Paradiso instituit, & ex decreto suo admirando voluit esse unius maris & unius fœminæ legitimam conjunctionem. Hæc societas, ut antiquissima, ita sacratissima, summeque celebranda, ad finem mun-di duratura est. Quo autem consortium hocce felicius succedat, & benedictione virescat, maxime requiritur contrahentium consensus, qui simul polcit applausum parentum: scilicet necesse habent liberi, de tam immuta-bili negotio, consulere suos parentes, quorum voluntati refragari impium est ac periculoseum. Hic justam etiam distantiam sanguinis, cognationis, & affinitatis observa-re jubent leges *Divina* & *humana*. Sanctissimum hoc fœ-dus *polygamiam* *simultaneam*, *communionem uxorum*, ad nu-tum quorundam, nullo modo permittit. Præterea omni-um blasphemorum opinio ad orcum releganda, qui conjugium opus in honestum turpiter nugantur; quorum vestigia & olim deprehendebantur, & hodienum pro-stant perquam multa. Nos autem melius informant S. literæ: nempe ex mandato divino in propagationem & conservationem hominum ordinatum esse conjugium, cum in uno individuo impossibilis sit talis propagatio. Mu-

tuum etiam præstat levamen ac solarium; denique aduersus vagas libidines & fornicationes, hæc societas medium est efficacissimum. Ast hic operæ pretium, Deum frequentibus solicitare precibus, ut conjugem probam, virtutibus ornatam, quivis inveniat, &, ut in coniugio foveantur concordia, sincera dilectio. Sedulo cavendum, ne solum oculis uxor ducatur. Amor quidem est desiderium pulcri, & pulcritudo amoris est alimentum. nihil autem forma sine virtutibus. Præterea non insigni gradu nobiliorem & superiorem, sed quodammodo æqualem eligere juvat. *Si vis nubere nube pari. Par pari jugato conjunx: quod impar est diffidet.* Politici futuro marito virginem ducendam monent: at viduas quoque bene moratas, supellectili instructas, & curæ domesticæ longo usu assuetas, nonnunquam associare prodeat: sicut proverbium Svecan. sonat: *den som får en Ängla/ han får både Bord och Bänkar.* Concludit tamen rectius maxima pars cum Hesiodo, puellam accipere oportere, ut gratis moribus eam imbuere possis. Viduæ ad primi mariti mores assertæ non facile flectuntur, neque deerunt illis querelæ, se primis fuisse cariores; saepe prioris encomia in successoris ignominiam occidunt. Vid. B. Doct. Gezelii Encycl. Nob. Gyldenstolpe, & Jacob. Martini.

§. IX.

Secunda Societas naturalis vel simplex est *paterna*, ubi parentes, ut personæ superiores, habent potestatem in liberis, certis limitibus ac cancellis circumscriptam, quæ minime se in jus vitæ ac necis extendit. Debent parentes in pietate, non atrocitate, liberos tractare, & post generationem ex ratione facultatum sustentare, variis requisitis illis prospicere; non ad luxuriam & voluptatem sed

sed necessitatem. *Unumquodq; naturaliter ex eo alimentum accipit, ex quo genitum fuit.* Arist. I. Pol. c. 10. De hac re, nos animalia bruta informant, quæ imaginem naturalis *sophys* insignem satis declarant. Officium quoq; ostenditur in liberis defendendis; unde summam ac diligentem curam habeant, illorum informationis, præcipue ut cognitio Dei illis fiat familiaris, ac S. literæ mentibus in tenuilla statim ætate instillentur. Jaëtis vero feliciter quodammodo fundamentis veræ religionis, parentes sibi inspectionem demandatam sciant, ne sodalitio & commercio improborum natura liberorum flexibilis corrumpatur; sed in honestis artibus, vel mechanicis, vel si opes suppetunt, filios ad ædes Musarum ablegent, juxta illud Epicteti: *Cura ut filios tuos eruditos magis, quam opulentos relinquas: præstant enim eruditorum expectationes, quam indotorum divitiae.* Et, cum nemo vivat ex vento, ut loquitur Libenthal *sumptus ex paterno affectu largiantur:* ante omnia præceptores, & moribus & eruditione clari, illis sovendi, quo temporis successu supra vulgum sapere possint. Ne memoria ac familia extingvatur, de commoda & congrua liberorum in matrimonium elocatione, sint parentes solliciti. Liberi, ut personæ inferiores, juxta præceptum Dei: *Honora patrem & matrem tuam;* Parentibus suis reverentiam, obedientiam, dilectionem, timorem, gratitudinem, ex filiali & spontaneo animo tribuant. Hoc dictitat recta ratio, & S. Scriptura, ut illos, e quorum sanguine nostrum habemus esse, quorum studio, sudore, laboribus, habemus bene esse, post Deum magni æstimemus. Paulus Ephes. VI. officium liberorum erga parentes ob oculos ponit: *Liberi obedite parentibus vestris.* Huc tendit & hoc: *Audi fili patrem, qui te procreavit, & matrem senem ne contemnite*

temnito. Quid enim parentibus bonis & jam jam senio confectis dulcius & gratius, quam videre liberos representare effigiem indiciaque virtutum suarum? Animum ergo gratissimum, & summam patientiam in parentum infirmitatibus, modestiae pallio tegendis, habeant paratam, si nullo alio modo innumera parentum beneficia compensare possint: sic erunt longae*vi super terram*, & *à Deo omnium patrum patre, bona spiritualia & temporalia, certo exspectabunt.*

§. X.

Mortalium naturam imperii avidam scribit Sallust, in Jugurt, nihilominus tertiam Societatem, scil. *berilem*, in familia perfecta ac bene disposita dari, ac summe necessariam esse, constat. Servitutem Christianæ pietati & Republicæ non repugnare, sed ex ea infinita potius commoda fluere, partim ex Sacris, partim humanis scriptis, longa etiam ac bona consuetudine probari potest. Illam vero gravem, & crudelem exulare jubet libertas Christiana, nec servos ac mancipia tractandos, hodiernus usus feliciter admonet; quamvis servi non proprii juris sint, sed dominis subiecti. Noachus imprecatur nepoti suo *Caini* Gen. ix. quod *maledictus sit, & servus servorum*: unde Jus Canonicum eruit, causam servitutis ebrietati transcribendam. Sed si haec maledictio non fuisset facta, nihilominus tamen servi darentur: nec antediluvianos servis potuisse carere verosimile est. De hac reposunt conferri *Meditationes Politice Bechmanni*, Manifestum quidem est, quosdam homines ea ingenii felicitate pollere, ut non solum sibi met ipsi possint propicere, verum etiam regundis aliis sufficire: non tamen mox *natura servi sunt; sed Servilia habent ingenia*. Neque manet Dominis potestas saviendi in servos, quia liberi sunt & mercenaria-

cenarii, nec turpia ac inhonesta negotia illis herus expediunda commendet. Præterea servum opera fideliter expedientem victu ac amictu dignari herus obligatur. Servus conversa vice ad nutum domini omnia sibi commissa, fide ac diligentia singulari, ex amore & obedientia elicita, suscipiat, molestias patienter ferat, laboribus susceptis finem imponat. Hujus societatis officia a B. *Pretorio* fusius explicata videas. Hisce jam levi manu tactis subsistimus, cæteras *societas compositas* siccō pede prætereentes, accuratiorem ac sublimiorem ventilationem desideranti Politici abunde exponent.

CAPUT TERTIUM.

§. I.

Hisce ita in antecessum prælibatis, antequam ad alia membra hujus nostri instituti propiorem accessum faciamus, absurditatem illam, quam infert spuria causarum Societatis, in limine recensitarum conflictio, paucis aggredimur, existimantes, haud rationibus subtilibus in re aperta opus esse, *Seniumque dimittere in iis, que sensibus sunt manifesta, & rationem querere, infirmitatem esse intellectus*. (a) Itaque primo a sententia eorum, qui homines *per accidens* coaluisse dicunt, divortium facere mandant Oracula Sacra; ubi talis causa accidentalis nullum fundamentum habet, nec habebit. In admirationem ergo potius, quam refutationem talis dementiæ, animus rapitur, nisi forte Epicurus, hujus originis auctor, per fortunam & accidens, Christianorum more & Theologice, divinam gubernationem ac providentiam intellexerit, ut notat Nob. Gyldenstolpe. (b) Neque ad castra aliorum fugere possumus, qui statuunt homines *miraculi causa* in unum congregatos. Qui pau-

paulo accuratori mentis scrutinio hæcce perpenderit, ex cerebellis quorundam Poëtarum progenita, & mèrum figmentum fabularum esse dixerit. (γ) Parum meliorem æstimamus fictionem quorundam, dicentium, *Musicam*, vel *Eloquentiam*, aut *Religionem*, homines in societates allexisse: quæ opinio ridicula ac inepta facile corruit, si præsupponamus artes hasce non sine informatore potuisse addisci, adeoq; societatem aliquam prius exstitisse, quam in societatem beneficio musices homines compellerentur. Eloquentiam ac *Musicam* ad ineundam & continuandam conversationem, haud parum facere non imus inficias. Religionis quoque causa multos conjungi, juxta illud Stigelii;

Utg. alios alii de religione docerent,

Contiguæ pietas jussit habere domos.

Illa vero locum inter causas Societatum non mereri recte judicat Nob. Gyldenst. Rationes hisce & pluribus imaginationibus minus ponderosis si promerem ac enumerarem oppositas, excitarem majus tedium quam fructum: nec multitudo errantium parit erranti patrocinium. Solummodo quam firmo stet talo sententia *Grotii*, *Platonis*, videre restat: etiam nodum, ut ipse putat, Gordianum Hobbesii, in Sequentibus solvere conabimur.

S. II.

Nullius quidem autoritati quidquam derogatum volumus; sed ut proverbium monet: *Amicus Plato, & omnes alii magni nominis viri, maxime tamen amica veritas.* Hæ tres sententiæ ut vix differunt, sed pari passu ambulant, in unum eos examen convocare licet. (α) Homines nunquam in sylvas & solitudines dispersos secessisse, & instar ferarum vagam degisse vitam, velut commentum quoddam futile expendum dicimus. Ad hæc homini magnam libertatem conce-

concedimus, universum autem genus humanum in *Mero statu naturali*, ubi neuter alteri parebat, exstitisse, S. paginæ adversatur; quæ Evam imperio sui mariti, Adami, subjectam testatur. In hoc statu omnia omnibus esse communia, non ultra honestatem & rectæ rationis dictamen debere extendi, appareat vel ex *Observationibus Doct. Osandri in Grotium*, & non solum in statu *destituto*, sed etiam *instituto* ac innocentæ, obtinuisse divisionem rerum, ac distinctionem dominiorum. Et quamvis unitatem requirit salus Societatum, hæc tamen in omnium æqualitate non consistit; sed velut *Musicam* non constituit *μερόνος*, sed harmonia ex variis intervallis conflata, ita concentus animorum ad societatem est necessarius. Ad hæc ex communione bonorum plures excitantur discordiæ, quia omnes omnia sibi ex æquo tribuunt. Falsum etiam est, & à veritatis tramine recedit, quod Hobbesius dicit, unicuiq; secundum juris naturalis fundamentum licitum esse, quibusvis mediis in suam defensionem uti, nullo habito respectu honestatis: scilicet adversus illos defensionem esse licitam, abs quibus ipsi periculum imminere lana ratio revelat, ne in legem naturæ peccet. *Statum hunc esse bellicum, & voluntatem semper ad pugnam paratam docet Hobbesius.* Falso: siquidem autoritas S. pandectarum, fallere nescia, statum *institutum* fuisse pacificum, & homines invicem potius esse amicos, quam hostes arguit. Adamo namque ex terra producتو adjungitur socia, quæ, ut ex ipsius carne & ossibus formata, singulari amore ad illam accendebarunt. Ex hisce duobus, qvicquid est mortalium, cum descenderit, non vulgaris amicitia ex similitudine naturæ refluerat, sed talis, qvalem unus sangvis, una stirps conciliabat. Homines ergo sese invicem metuere, falso niti principio patet,

patet; quod nempe perpetua erat inclinatio nocendi, ob æqualitatem virium. Posita hac falsa hypothesi, forsan Hobbesius aliquid obtineret, si genus hominum subito è terra fuisset prognatum. Nob. Pufen. De J. N. & G. affirmat, vires æquales voluntatem nocendi potius refrænare, quam incitare esse idoneas, quia nemo cum æquali in pugnam descendere amat, nisi necessitate urgente, aut ubi occasio rei bene gerendæ fiduciam subministrat: exitus enim ab incerta pendet alea. Inde Schyræ apud Curt. l. vii. *firmissimam inter pares amicitiam volunt, & videntur pares esse, qui non fecerunt inter se periculum virium.* Hominem in solitudine relictum, miserandum animal esse, mutum ac turpe pecus, & pacem naturalem citra aliorum præsidium in se defendenda maximè debilem, ob ferociam barbariemque depravatæ hominis naturæ constat. Et inde *necessitatem societatum sponte largimur:* nihil secius ipsam naturam, ut antea dictum, esse causam interius moventem largimur. *A natura potius, quam ab imbecillitate orta est amicitia; societas ad applicatione magis animi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura, coalescit;* inquit Cicero. Ulterius in *Officiis* pergit: *Si omnia nobis, que ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina supeditarentur, quilibet tamen socium studii quereret, cum vel docere vel discere cupiat. Si vel maxime ob aliquo neque boni nec mali in me proficiji possit: nihil in se is habet, quod vel metuam, vel desiderem; tamen & hunc tanquam cognatum & æqualem haberi natura vult.* Vid. Nob. Pufend.

§. III.

Anges obtrito capite postremum cauda minantur, sic Hobbesius fiducia solita, ratiociniis speciosis suffultus, adhuc in contrariam partem aliquid sic molitur: *Si homo homi-*

bominem amaret naturaliter, id est, ut bominem, nulla ratio reddi possit, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut aque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quarum societate, ipse potius quam aliis defertur honor & utilitas: sic per consequens, omnem societatem vel commodi vel glorie causa, hoc est, sui, non sociorum amore contrabi. Ad hoc respondet, Nob. Pufend, *Confundi communem societatem, cum peculiariibus & arctioribus:* nam ad communem amorem revera nulla alia ratio est necessaria, quam quod quis homo sit; quod autem quis alium majoris amoris gradu præ altero prosequitur, facit admirabilis ingeniorum diversitas, quod hic magis idoneus ac proclivis ad commoda illius promovenda, aut quod proprius ipsorum origines distent. Præterea contra Hobbesium recta ratio indicat, ita deberi operam dari proprio commodo, ne commodum societatis lædatur, sed per mutuum auxilium vita consistat, & incrementa capiat. Ulterius respondemus, distinguendo inter *statum institutum, & destitutum:* in illo mutuam benevolentiam omnium, amorem non fucatum, summa ista Paradisiaca integritas extingvi non permisit: in hoc autem luxuriantes odii ac inimicitiae motus, antipathia, execranda corda mortalium occupant, turbantq; ac sæpe jam valet illud: *Non amo te Volusi, nec possum dicere quare: hoc tantum possum dicere, non amo te.* Imo hominum ferociam tantam esse, ut *homo homini sit lupus inimicissimus.* Nec inde, quod homo per disciplinam sit capax societatis, statim actu, saltem aliquando, eum societatem appetere, valet illatio; siquidem natura semper propendet ad confortium aliorum, quamvis ad societas civiles & politicas, bene gerendas, non sufficit aptitudo naturalis, nisi accedat sedula informatio ac exercitium. Hæc ut in compendium

mittamus, dicimus, naturam nullo modo excludi posse: ut enim claudicat hoc, quod homines absoluta necessitate urgente in societatem compulsi sint, ita absurdum est dicere, quæ petita sunt ex infallibilis veritatis Oceano Sacro, convenire cum illis, quæ philosophi & Poëtæ de primo statu produnt, qui noctuæ fuerunt in hoc puncto; uti est mens D. Osiandri in Grotium. Sic subverso fundamento, omnia quæ superstruuntur, levi aurâ evertuntur. Laborat ergo falsâ hypothesis conclusio Scoti in L. II. Dist. 29. Q. I. *Rebellionem esse in homine existente in puris naturalibus, quia naturale est unicuique appetitus, ferri in suum appetibile.* Osiander dicit, omnem rebellionem, omnem pugnam in homine, non secundum naturam, sed *contra* eam esse, non ex creatione, sed *defectione*; non ex prima origine, sed peccato.

CAPUT QVARTUM.

§. I.

Expansis tenui crena meæ intentionis velis, nunc ex gente ordinis ratione manus ad vincula Societatum compendiose applico. Primum *Amicitiam* omni societati admodum utilem, jucundam, & necessariam, dicit Plato. Veram, inquam, amicitiam maximi esse momenti in societate generis humani, liquet, adeo ut prima societas sit, animorum studiorumque consensio, quæ morum similitudini innixa, & vitæ usu mutuisque officiis firmata, permanat in varios multiplicesque usus. Utilitatem ejus commendat Siracides c. 6. *Amicus fidelis, protectio, qui autem invenit illum, thessaurum invenit. Egregie etiam Cassiodor: sine amico omnis cognatio est tedium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine ejus solatio vivere,*

est mori. Auctor nobilis hujus clenodii est ipse Deus, qui omnes, in proximum benignos affectus declarantes, immense diligit. Omnis enim societas constat concordia & consensu, qui morum comitate & humanitate conditur. Contra, feritas & inhumanitas est pestis omnium societatum. Scilicet amici, non natura, sed electione fiunt; operæ ergo pretium est, eligere amicos bonos, paucos, quorum mores non abhorrent a nostris; sed convenient, quantum fieri potest ætate, dignitate, consiliis, ut præsertim benevolentia illibata sine discriminè & intermissione vivat: hinc antiquissimum est effatum: *Similitudo est amicitiae mater.* Omnibus quidem hominibus una & communis est natura; sunt tamen peculiares quidam igniculi, in singulis hominibus, ad amicitias copulandas. Optime Seneca: *Tu omnia cum amico delibera, sed de te ipso prius: post amicitiam credendum est, antea judicandum. Expedit probatos amicos amare, non amatos probare.* Præclara enim hac compage hominum cœtus conservari, & hisce columnis ipsam rempublicam inniti, extra controversiam est. Improbi vero ex conversatione rejiciendi sunt: quia amicitia horum semper est suspecta. Amicitia vim quædam transformativam in se complectitur: talis quis redditur, qualis cum quo conversatur. Sicut quæ liquefacta sunt, eam assumunt formam, quam habet typus, in quem injiciuntur: sic etiam amicitia veterem formam exurit, novam inurit amici. nimirum in quem animus sic liquefactus illabitur, firmissimam amicitiam, a similitudine virtutis proficiscentem, æstimam⁹: magna pro in cautio habenda, ne hoc vinculum arctissimum frangatur, & inimicitarum flammæ incendantur, & sic amica societas in horribilem convulsionem mutetur.

Ad confirmationem loci etatum, firmissimum fulcrum est quoque *Justitia*, quæ ut salutatur fons & thessaurus virtutis, sic neminem Deo similiorem esse pateret, quam virum justissimum. Eloquentiae parens Cicero dicit, eam esse fundamentum perpetua *commendationis & famæ*, sine qua nihil potest esse laudabile. *Alia virtutes possessores suos potissimum perficiunt, eorumque gratia functiones suas exercent;* *Justitia autem tota refertur ad alterum, & procurat bonum publicum; ut actiones edat, non sua solum, sed potius alienæ utilitatis, & quidem communis ac reipublicæ studio, & neutiquam bâtre carere possit, si vita salva ac immunis sit, a furum ac latronum iniuria.* D. Rudraffius in Institutionibus moralibus. Hæc suum cuique tribuit, Deo cultum, Magistratui obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus humanitatem & comitatem, oppressis tutelam, dubiis consilium. Quod ubi fit, omnia ad utilitatem & gloriam aliorum referuntur, vixq; sociates ruinam minari possunt. Difficile quidem est, actiones secundum illam corrigere: multi enim iura noscunt, non statim legibus mandata agunt, quia appetitus in diversum nos trahens rationi repugnat; ut nihil ipsi syavius, quam injurias exercere, vim inferre, obliwonis fœdissimæ tradere justitiam. Hæc tamen non est observatu impossibilis: & quamvis in animo variæ existant cupiditates, juri reluctantes, nihilominus ratio judicat, decoram esse symphoniam omnium partium animi, ad justam normam mensurandarum; cujus rei ineffabiles fructus à priori & posteriori, à causa & effectis deprehendi, cuiuslibet, absque ampliori probatione, in aprico est.

In omni Societate debet etiam ordo esse conspicuus, qui justitiæ temperatæ maxime est affinis; ac solum vinculum, vel ut spiritus vitalis, & formalis ratio, universæ societatis salutanda. *Ordo est officii & actionis similitudo omnium eorum, quæ inter se conferuntur.* Plato. Quicquid in republica certo quodam ordine continetur, & illius ductu & auspicio regitur, non potest non esse cum maximis bonis coniunctum: contra, cum nullus adest ordo, vel cum male res sunt constitutæ, non potest non maxima rerum perturbatio inde existere: qvæ quidem bonum illum ordinem, omnemq; eam, quæ ex illo proficiuntur, utilitatem interturbat. Omnia promiscua vi ac licentia involvere prohibet S. Scriptura, quæ vult, ut aliis imperemus, aliis pareamus, quosdam esse superiores & dirigentes, alios inferiores & dirigendos, teste quoq; statu & dignitate temporum, annuente jure naturæ: *ut n. mundus sine sole, sic societas civilis absq; Magistratu fluctuans labitur.* August. de Civ. c. 19. Omne bonum, tam naturale, quam civile, & morale, in ordine constituit: pax, *inquit*, corporis est ordinata temperatura partium, pax animæ rationalis ordinata requies appetitionum; pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisq; consensio; pax corporis & animæ ordinata vita & salus animantis, pax hominis mortalis & DEI immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia; pax hominum ordinata concordia; pax civitatis ordinata imperandi & obediendi concordia civium; pax cœlestis civitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & invicem in Deo; pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Cicero etiam indicat, nihil tam aptum esse ad jus conditionemq; naturæ, quam imperium, sine quo nec dominus

mus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec mundus potest. Non ergo ordo hic sine imperio concipitur.

§. IV.

Summum præterea & optimum societatis humanæ vinculum & nexus est *Religio*: quippe sine religione nulla res publica, nulla societas hominum bene disponi potest. Quare recte statuitur, hanc esse basin & incolumentem omnium Politiarum, & religionis censum in civium animis inesse debere. Illa namque ostendit copiose, DEUM esse omnium rerum initium, medium, finem; illiusq; vim & potentiam per omnes universi partes efficaciter permanare: illius providentiam invigilare rebus humanis: justum esse omnium scelerum vindicem atq; ultorem, neq; illius vindictam ullum mortalium evitaturum, qui ejus legem violaverit. Sine sanctitate *religionis* inania forent vincula amicitiae, ordinis ac justitiae. Hac præclara virtutum compage crescunt familiae, publici hominum cœtus hac constituuntur, ipsa respublica his incolumis nititur, hinc juris fontes aperiuntur. Plato notat ἐπελέχειαν virtutis esse, cognitionem Dei, quæ est vera sapientia: & nihil tam societati adversum, quam ignorantia Dei, & neglectus religionis; cum sine hac non possit esse felix respublica, nec leges sine sapienti cognitione esse possint: sapientis autem illius cognitionis caput est Dei cognitio, quam minimè absolvit superficiaria opinio, sed accurata contemplatio. Sanctissimi hujus numinis existentia ex revelatione luminis naturæ clara est; ex fontibus S. Scripturaræ clarissima evadit: illius ergo aestimatio non in intellectus speculationibus satis est tuta, quo minus voluntas pium ac religiosum cultum affectibus pravis purgatum declaret,

ret, & omnia nostra opera placitis ejus conformentur. Vivere omnes beate volunt: sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Sen. de Vit. B. c. i.

CAPUT QUINTUM.

QUEST. I.

An vita Kosaccorum: ut sic, sit societas appellanda?

HOrum crebro fit mentio in novellis, & versantur ad inferiorem partem fluvii Borysthenis, qui hodie Nieper & Nester dictus, vel cum adjectione literæ D. Dnieper, & Dnester; ortum trahens in Moscova, ex terra plana & palustri, modico in occidentem flexu Smolensko oppidum, & Kiova præterlabitur; ubi diversarum gentium confinia concurrunt, præter Moscovitas & Polonicæ ditionis Russos, nonnullæ Turcicæ præfecturæ attingunt: ut constat ex observationibus Matth. Berengeri, super Tacit. Hic tot nationum, non satis pacatarum, congeries, velut panispermia, non potest adhuc, quamvis multis seculis, pax consistere: itaq; immensa isthic camporum spatia, multi agri ob latrocinium vel metum jacent inculti: hoc ad prædas ex hostico agendas solent confluere omnis generis homines, quidam egentes, quidam rerum capitulum damnati, quidam, quos vel fortuna, vel leges, in patria esse non sinunt, quidam etiam quasi ad deprædationes nati, qui otio torpent, virtutem oderunt, vitiorum studiofiores, hostem habent, ex quo plurimum prædæ sperant, homines ad solem indurati; perpetuo in armis versantes, omnes ad vicina loca divexanda intenti; siquidem & hoc nomen, Kazac, Tartaricum est, & significat prædonem. Jam respondemus: Societatem non, nisi in latissima significatione, hisce competere: quia adversa fronte impugnant

gnant voluntatem DEI, cui tale consortium est abominatione. Natura quidem non negamus hos moveri, sed quatenus depravatissimis stimulis tumet, horum etiam voluntas & conversandi necessitas vertitur in rabiem, in honestis mediis utuntur: dictum illud Paulinum, *Non facienda malitia, ut inde eveniant bona*, vel non didicerunt, vel oblivioni tradunt; legem naturae invertunt; siquidem illam ex utilitate metiendam volunt, quod horridum est dicere & audire. *Si enim juris mensura esset utilitas, vincula sociatum in tyrannidem flecterentur.* Nob. Pufend. talia profert verba: *Si quis omnia ad proprium duntaxat commodum referre citra respectum ad alios homines velit, cum ceteris etiam eandem detur viam insistere, non poterit non inde emergere summa rerum confusio, & quoddam velut bellum omnium in omnes; quo statu nihil homini inutilius.* Cum ergo horum natura a rectae rationis dictamine divertit, nec curant, quod sana ratio utile prescribit; haec illorum utilitas est spuria, & potius horum vita latrocinium, quam Societas appellanda.

QVÆST. II.

An Brutis Societas competit?

Animalia bruta, infra nostram conditionem posita, non aliter ac ingentia agmina, ad loca varia libere iter facere, ac velut amicitiae nexu copulari, in limine hujus exercitii indigitavimus: horum tamen libertas valde est ignobilis, & tanta convenientia ex paritate generis conciliatur; *Parcit cognatis maculis fera,* inquit Juvenalis. Ea quæ ventri inserviunt, ante omnia eligunt, illos maxime venter & venus sollicitat. Quosdam, jus naturale omnibus animalibus commune esse, non pudet dicere: at solummodo juris quasi imagines in brutis repræsentantur; apud aliqua rudimenta matrimonii, sed nuda corporum coniunctione,

& non

& nonnulla benevolentiae specie, non fidei religione continentur. *Quod horum libertas exlex sit, respondet Nob. Pufend.* quia DEUS illis non animum juris intelligendi dedit. Dicimus ergo illa potius esse congregabilia. Cic. Off. I. dicit, *inter hominem & bellum hoc maxime interesse, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens, præteritum & futurum:* homo autem qui rationis est particeps, per quam consequentia certit, principia & causas videt, eorumque progressus, & quasi antecedentes, non ignorat, similitudines comparat, rebusque presentibus adjungit, ac annexit futuras, facile totius vita cursum videt, ad eamque degendam preparat res necessarias.

QVÆST. III.

An vita solitaria improbanda.

Sicut hominem esse animal sociabile quodammodo evitum, ita vitam solitariam naturae humanæ aduersari, est evidentissimum. *Memento,* inquit Cicero, *non tibi soli tenetum esse, sed partem patria sibi vendicat, partem amici, partem concives tui, partem parentes, & universum genus humanum.* Imo tales μονάρχαι ποποι non omen, sed nomen solum, hominis habere dicuntur, eosque vel infra conditionem humanam esse positos, ut bruta quædam, vel supra eandem vel ex altatos, ut ipse DEUS, nostra conversatione non egens. Exempla ex Sacris & profanis, quæ nobis opponi possunt, si recte explicentur, nostram assertionem non evertunt; siquidem patet sanctissimos & piissimos, vitam politicam amplexos esse. Solitudinem ergo decet fugere, ut melancholiæ pabulum, ansæ tentationis, cum omnia nobis mala solitudo persvadeat. Sic Seneca: *Hominum cœtibus exire incepit est, antequam e vita excas.* Crates cum vidisset adolescentem, secreto ambularem, interrogavit: *Quid illuc solus faceret?* Mecum, inquit, lo-

D 2

quor

gnor: Cui Crates dixit: *Cave & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris: existimabat enim solum esse periculis variis obnoxium.* Soli homini isthoc adhæret, cum homine vivere, ut absq; eo nec vivat, qui ad societatem natus est. *Vir sapiens, qui operam denegat Republicæ, est thesaurus absconditus, qui nemini prodest.* Sirac. Vitam etiam solitariam in Sacris literis tradunt referri inter maledictiones. Non pauci tali abstinentia præ cæteris hodie volunt declarare singularem speciem religiositatis, sinceritatis, se quoq; videri omnibus vanitatibus valedixisse, & vestigia Christi divorumq; hominum directe premere; sed frustra. Hi ergo fictæ sanctitatis cultores, societatum variarum disturbatores in suis secretis angulis, speculatonibus profundis, maneant immersi; nos meliora edoëti, societas honestas extollimus & laudamus. Recte ergo concludit B. Liebenthal: *Cum vera iustitia & securitas non sit in ecstasi & spirituali monastico gaudio, sed potius in carnis & affectuum victoria, istius modi conversationis oforum Monachorum & Eremitarum turpem soliditudinem, ventri, somno, libidini addictam, omnino detestamur; quia licet ejusmodi homines certis societatibus se subducunt, tamen sociali nature sese opponunt, cum in sodalitiis interdum in honestis versentur.*

Hæc sunt, Lector Honorande, quæ tenuerunt ingenium, & rude tyronis penicillum adumbrare potuerunt: si mihi aliquando cæcutire contigit, Te non omnia rigidè examinare, sed excusare, nec non festinationi ignocere decet: Me vero Tuam benevolentiam ac candorem celebrare. Majora ac meliora ab ingenii maturis, diuturnaq; lectione exercitatis, sunt exspectanda. Ultimo calido pectore voveo, ut finitis hisce societatibus mundanis, in Paradiso, cœlesti rore rigato, societati Omnitum Sanctorum conjugamur!

Præstantissime Dn. Studiose,
Amantissime IUNI.

Seminia & origo mortalium à societatibus incipiunt. Qvæ Deus & natura inplantarunt. Scaturiginem ejus naturæ non tribueret, nihil aliud est quam mundi invertere ordinem. Itaq; illi, qui, nescio quos sibi homines fingunt, per deserta loca planè paludos, quos post sera tandem tempora, aut prudentium facundia aut alia humana industria ad cultiores societates condendas invitavit, valeant & abeant. Ejusmodi cogitationes non modo dignitatem hominum præmunt, verum etiam Altissimo gloriam despiciant. Vetusta Philosophorum judicia non sunt de nihilo, *hominem scilicet natura esse animal Sociabile.* Sed ne ego ligna in syllam feram, sufficiat Amicum optimum judicio stabili hoc ipsum discursu publico monstrasse, candidissimas recti aperiens januas, & declinantum premens vestiga. Gratulor itaq; Tibi Amice felicem in bonis studiis progressum, qui nunc punctum veritatis acutetigisti; Gratulor Honestissimis Tuis Parentibus illud, quod ex hisce profectibus tuis, mature percipient gaudium; deniq; ex toto pectori & intimis cordis visceribus voveo, & ardentissimis supremum Numen fatigabo precibus, velit Illud ipsis diuturnum imo perpetuum præstare. Et absoluta societate mundana, Te solidissima atq; candidissima Angelorum Sandorumq; societate circum dare!!!

*Ita vovet ad aras usq; amicissimus
ERICUS SUNDELIUS, Nericius.*

Pereximie Dn. IUNI / amicorum Princeps.

A pud omnes sapientes, quis nescit in confessu esse nullum unquam studiorum genus (preter sacrum) exantlati magnis laboribus; uberiorem fructus messem, sudorisq; præmium, suis cultoribus studio politico tribuisse, vel abduc dum tribuere? Hujus certe usus se ad omnes extendit hominum ordines statusq; citraccius instructionem intellectus noster in immenso illo rerum politica- rum, ad societatem civilem ordinandarum oceano fluctuans, sepif- sime ad varios ac prorsus difficiles errorum scopulos allisus vacil- laret.

laret. E contra Steriliscente hac disciplina, ruinam haud parvam
republica caperet, leges succumberent & societas civilis nusquam
felix reperiretur. Quid igitur præstabilius ac potentius hoc stu-
dio? cuius beneficio per sylvas dispersi, & instar ferarum palantes
homines, ad civilem cultum traducuntur, & in societatem convocan-
tur: per hoc domi & militiae cauti circumspecti, redduntur: per
hoc ad res consulto suscipiendas, prudenter continuandas, felici-
terg, determinandas probe instruuntur. Unde fit quod nullius fere
studii cupiditas æque hominum cœperit animos ac politices; cui
summum in republica locum assignarunt, cluimq; dederunt, qui-
cunq; fati publici curam, ideis vanis didicerunt anteferre. Hoc no-
mine tibi Domine Respondens, vinculo necessitudinis mibi con-
junctissime, quod nemo nisi atra mors rumpere potest impensegra-
tulor, qdippe qui delibaris decenti curiositate cæteris Philosophie
partibus, bujus studii jucunditate, nec non in communi & civili
Societate usu, inque privata vita insigni delectatione, motus, ex ist-
hoc tanquam studio præstantissimo, tibi materiam publicè exercitii
gratia ventilandam elegeras, qua ingenium tuum acueres, dili-
gentiæ documentum exhiberes viresq; tuas, quantæ sint, experire-
ris. Qvod inter alia luculenter à te ac si ad altiora adspirante, e-
missus hodie prodromus illustris perconcinne proprio Marte elabo-
rata dissertiuncula de Societate Civili testatur. Hoc animo Ma-
ete hinc enim te larga laboris indefessi manebunt præmia. Ac licet
opus maxime videatur grave, cuius inchoatio (ut jam feruut tem-
pora) invidia, continuatio labor, finis incertus, tamen incompara-
bilem illam literarum gloriam perpende; qua sive nobilitatem rei,
sive necessitatem usus spectemus, undique ineffabilis est; qua etiam
pauperum & tenui fortuna utentium subcellia summorum thronis
exæquat, ut experientia quotidiana docet. Qvam ipsam mercedem
Tibi liquando, tuis laboribus dignam, contingere, ex intimis cordis
visceribus optat & precatur, qui te non minus ob studia egregia
qvam morum integritatem sincere amat.

ERICUS E. Qvist/ Ingermannus.

Dum ruit adversos acer bellator in hostes
Gallicus, & tristi sidere bella gerit,
Hungariaque volant per barbara regna phalanges;
Et circum, attonitis gentibus, horret Iber.
Tu (si bella licet phœbi conferre cruentis)
Bella geris studiis non aliena tuis:
Lis pro jure Tibi est, pugnax fit arena lyceum,
Et sua jam vernans arma cruenta quatit.
Omnis ab ingenio labor est, ratione triumphus,
Et partes peragit lingua diserta suas.
Applaudunt doctis Parnassia Numinis curis,
Et numeris gaudent, Pallas, Apollo tuis,
Scandere Parnassum tentas, Iuvavissime Junc;
Pergere te moneo: ampla brabea feres.
Jam ver molle tuum est: vernal' tibi floribus annus,
Serta tibi necet, turba novena Deum.
En Frater! faciles currant tibi lenius anni,
Nec malus afflictum Te velit esse dolor!
Qvin potius vacuam rugis exporrige frontem,
Crede mihi, his poteris vultibus esse meus!

Tenui licet avena, integrissimo tamen amico suo,
ampliori qvidem affectu quam verbis,
sic gratulatnr

DANIEL MÆL. BERG.

Floribus halantes hortos balanisque venustos,
Inficiunt viro prava rubeta suo.
Ingenium excoquitur, vitiisque, roseta Minerbae
Venti ceu rapidi, turbine quassa ruunt.
Inter enim vites surgunt steriles quoque lappae,
Quae laxant foliis libera lora suis.
Ast nunc lator ovans, Tibi quod carissime Frater,
Suffocat sensus nulla rubeta Tuos.
Egregia esto Deo vitis cultusque racemus,
Qui referes Domine dulcia vina Tua
Sis alacer, pergas, nec unquam turma malorum.
Trudere Te possit de statione Tua:
Donec Tu superis insertus & ipse catervis
Aeternum teneas sacra roseta Dei!

Ex affectu fraterno, toto pectore, arundine
licet gracili, modulatur

MAGNUS Jung.

